



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Henrico Conuerso Vilariensi, qui grauter tentatus fuit, eo quòd non
esset filius legitimus, cap. 31

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

sola infirmitas hæc, quia isti sexaginta dies reputa-
 buntur tibi pro sexaginta annis. Expergiscēs, quia vi-
 sionem intelligere non potuit, quibusdam eam reue-
 lauit. Quam quidam ita interpretati sunt: quòd tan-
 tum eum purgaret a peccatis infirmitatis illius acre-
 do, quantum sexaginta anni in purgatorio. Aliis vide-
 batur, quòd verius fuit, quia infirmitas illorum sexa-
 ginta dierum, propter patientiam, esset ei pro merito
 sexaginta annorū: nam in nocte sanctæ Agathæ spi-
 ritum reddidit, qui dies fuit sexagesimus ab ea nocte,
 qua hæc audiuit. Consummatus in breui, expleuit tē-
 pora multa. Et vt scias verum esse sermonem prophe-
 ticum, qui dicit: Filius non portabit iniquitatem pa-
 tris, noueris monachum hunc filium fuisse clerici Bō-
 nensis ecclesiæ canonici. APOLLO NVS: Audiui de qui-
 busdam, quòd nimis timeant, eo quòd de legitimo
 thoro nati non sint, illis expediret ista audire. CÆSA-
 RIVS: Siue sint filij legitimi, siue fornicarij, adulteri,
 vel incestuosi, id est, de incestu nati, omnes ante bap-
 tismum eadem catena astricti tenentur. Omnes qui-
 dem nati sumus filij iræ, per baptismum verò effecti
 sumus filij gratiæ, sed soli illi beati, qui per vitam bo-
 nam & gratiā finalem computabuntur inter filios
 gloriæ. Reuocat mihi ad memoriam oratio tua Con-
 uersum quendam sanctum, sancti sacerdotis filium,
 qui de sua conditione ita erat tentatus, ita tristis &
 turbatus, vt penè lapsus esset in desperationem. APOL-
 LONIVS: Scire vellem exitum tentationis eius. CÆSA-
 RIVS: Dicam tibi quòd audiui ab ore cuiusdam Abba-
 tis, qui illum nouit & familiaris fuit: sed & ego illum
 noui.

Sap. 4.

Ezec. 18.

Saluti a-

nima nō

obest de-

fectus na-

taliū.

CAPVT XXXI.

NOmen conuerso Henricus fuit, in Vilario pro-
 fessus, & Domini Christiani de Claustro mona-
 chi filius. De hoc Christiano mira tibi dicam in
 distinctione septima, capite 16. Ministrabat autē idem
 Henricus in hospitali pauperibus, vir multæ humili-
 tatis, paciētiae, & compassionis; & quanto plus Deū ti-
 muit, tātō plus ab illo separari formidauit. Immiserat

N

enim

enim diabolus quandam desperationem cordi eius, ita vt diceret, quia non es filius legitimi thori, non es hæres cœlestis regni. Quæ cogitatio in corde eius adeò creuerat, vt à confessoribus, tam de scripturis quàm de exemplis prolatam, nullam prorsus reciperet consolationem. Misertus eius Dominus, nocte quadam, cùm tentatio esset validissima, in domum amplam & longam illum transtulit, in somnis tamen, in qua vidit de vtroque sexu multitudinem magnam, & facta est ad eum vox: Henrice, vides hanc multitudinem? Omnes quidem de legitimo thoro sunt nati, sed omnes reprobī præter te sunt. Euigilans, statim iustificatus est valde, intelligens visionē propter se factam. Ab illa hora tentatio immissa cessauit, & ipse, quā diu vixit, Deo, qui non deserit sperantes in se, gratias egit.

APOLLONIUS: Est ne acedia in choro dormire? CASARIUS: Consuetudo vitium acedia ex se gignit, quod quidam per infirmitatem palliant, cùm idem vitium magis ex diabolica operatione, quā ex infirmitate fit.

CAPVT XXXII.

Somnolentia in choro & diuinis a diabolo est.

Loquente me die quadam cum viro valde religioso ex Conuersis nostris de his, qui frequenter in choro nostro dormiunt, ipse mihi respōdit: Scitis pro certo, quòd somnolentia illa ex diabolo est: die enim quadam tempore æstiuo, cùm laudes decantarentur, vidi in dorso fratris Wilhelmi, qui etiam liberter ibi dormit, clara die serpentem serpere, & statim intellexi quia diabolus esset, qui in eius somnolentia pascebatur. Huiusmodi visionem, teste fratre Richardo, dicebat se de eodem Conuerso sapius vidisse. Conuersus qui hæc vidit, vocabatur Conradus, vir bonus & justus, de quo multa excellentiora tibi in distinctione octaua recitabo. Multos per somnolentiam tentat diabolus & vexat, & hoc in diuersis formis.